





1797, 1 89  
13

VIRO  
CLARISSIMO ac CONSVLTISSIMO  
CAROLO TRAVGOTT GOTTLOB  
SCHOENEMANN

BIBLIOTHECAE REGIAE IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA  
A SECRETIS

S V M M O S

VTRIVSQVE IVRIS HONORES  
ANNVENTE INCLYTO IVRECONSVLTVRVM ORDINE

D. XXI. *Sept.* c1010CCXCVII.

IN EVM COLLATOS

GRATVLATVR

GOTTFRIDVS HENRICVS BOETTCHER  
HANNOVERANVS,

LEGVM CVLTVR.

---

PROPOSITVR  
INTERPRETATIO LEGIS 63. §. 7. 8. 9. D. AD SCTRVM TREBELL.

---

GOTTINGAE,  
TYPIS IOANN. GEORG. ROSENBYSCH.  
C1010CCXCVII.

UNIVERSITÄT  
CAROLUS-FRANCOIS  
GOTTINGEN

LIBRARIUS  
A. B. C.

1773

Esse sui, dederat, monumentum et pignus amoris!

LIBRARIUS  
A. B. C.

IN P. M. C. O. S.

LIBRARIUS  
A. B. C.

LIBRARIUS  
A. B. C.

LIBRARIUS  
A. B. C.

GOTTINGEN

LIBRARIUS  
A. B. C.



Explicatur

L. 63. §. 7. 8. 9. 10. D. ad Senatus consultum  
Trebellianum.

**V**erba CAII, e libro secundo fideicommissorum, vt Florentiae leguntur; haec sunt

§. 7. *Si sub condicione heres institutus sit, qui, suspectam sibi hereditatem esse, dicit, si neque difficultatem, neque turpitudinem ullam habet condicio, nec impendium aliquid; iubendus est, parere condicioni et ita restituere: si vero turpis, aut difficilis sit condicio, aperte iniquum est, cogere eum, explere eam, alterius gratia, sed et remitti eam ab initio, visum est: plus enim tribui a Praetore ei, qui fideicommissum petit, quam testator voluit, absurdum est; utique autem testator, nisi expleta sit condicio, neque scriptum heredem ad hereditatem vocavit, neque, per hunc illi, voluit, restitui hereditatem.*

§. 8. *Si dandae pecuniae condicio adscripta est heredi, debet ei offerre pecuniam is, qui poscit fideicommissum*

sum, ut hereditatem, impleta condicione, possit adire et restituere.

§. 9. Quodsi condicio adscripta est, et ea est, quam Praetor remittit; sufficere Edictum, Iulianus ait: hactenus iubendus est, ut constituat, Praetoriis actionibus uti, aut petat bonorum possessiones secundum tabulas, ut, ita nantus actiones, tunc, restituta hereditate transferat eas ex Senatus consulto.

Cum ius fideicommissorum, quod ab Augusti temporibus inualuerat, binis illis Senatus consultis, Trebelliano et Pegasiano, satis munitum esset atque corroboratum, non modo incommoda, quibus heres scriptus, dum, fideicommissa praestare eum, oportuit, premebatur, sublata, sed, adeunda et ex fideicommisso restituenda hereditate, certam quoque, lucri capiendi, spem fuisse propositam, nemo erit, quin sciat. Ortum inde videmus frequentiore, quam antea, fideicommissorum vsum, ac, uti fit, varias controversias inter heredem fiduciarium et fideicommissarium subinde enatas. Itaque iure consulti, ut lites illas, tam multiplices, tollerent totumque illud ius, utroque SCto constitutum, in clariori luce collocarent, explicanda fideicommissorum doctrina diligentiam et ingenii vires vario modo experti sunt. Sic et CAIUS *libros duos fideicommissorum* conscripsit, e quibus fragmina Digestis inseruit Tribonianus. In secundo quidem libro, praeter alias quaestiones, ad vniuersam fideicommissorum rationem spectantes, tractauit et illam: si heredi dies, vel conditio adscripta sit, quid praecipiant leges, si, ante diem, heredi-

reditatem restituerit, vel parere conditioni nolit; deinde quae conditiones remittantur, quaeue implendae sint ab ipso herede fiduciario; quo tandem modo actiones transferantur. Has questiones in lege 63. §. 7. sqq. D. ad SC. Trebellianum excussit. Manifesto autem vitio in editionibus, quibus vulgo vtuntur, inscriptio legis nostrae laborat: est enim haec: CAIUS libro II. *responsorum*. Responsa vero in indice librorum Caii haud reperiuntur memorata. Vitio forsitan occasionem praebuerunt inscriptiones duorum, quae antecedunt capitulum, quae nimirum, e PAULLI et SCAEUOLAE libris responsorum desumpta, legimus.

Sed, missa inscriptione; ipsa CAII verba adgrediamur. Itaque, quod ad conditionem, heredi fiduciario praescriptam, adinet; idem, quod in hereditate, directe, sub conditione, relicta, valere, Ictus pronunciat; atque adeo heredi fiduciario non minus, quam directe scripto, conditionem esse implendam: modo ita comparata sit, vt neque iure ciuili improbetur; neque praetorio remittatur *a*). Iam vero triplex conditionum genus, quibus parere fiduciarius non cogitur, Caius ponit. Aut enim *difficultatem* habet conditio aut *turpitudinem*, aut denique *impedimentum aliquod*. Pro quo vulgatae editiones legunt: *impedimentum aliud*; Norica, leui tantum mutatione: *impedimentum aliquod*, et ita quoque BAUDOZA edidit.

A 3

*a*) Ita enim ait: (§. 7.) Si sub conditione heres institutus sit, qui suspectam sibi hereditatem, dicit, si neque difficultatem, neque turpitudinem ullam habet conditio, nec impedimentum aliquod, iubendus est, parere conditioni, et adire, et ita restituere.

edidit. At, integram seruari scripturam Florentinam, ipse CAIUS iubet, dum sequenti §. 8. conditionem, quae impendium aliquid habet, esse, ait, *dandae pecuniae conditionem*. Impedimentum heredi obicere potest rei faciendae cum difficultas, tum turpitudō. Vtroque iam expresso, tertium adhuc ponit, neque turpe, neque difficile, sed molestum: quod, cum hereditas fideicommissarii causa adeatur, a fiduciario prorsus remouendum est, et, quidquid oneris fiduciario imposuit testator, fideicommissarius sustinere debet. Ideo, quaecunque conditiones neque turpitudinem, neque difficultatem, neque sumtuum faciendorum necessitatem, continent, fiduciarius implere cogitur. Pergit CAIUS: *Si vero turpis fuerit conditio, aut difficilis, aperte iniquum est, cogi eum, explere eam, alterius gratia*. Omisit tertium genus, si quid impendii conditio habeat, de quo, quid statuendum sit, sequenti §. subiicit. Turpis autem conditio ne ab eo quidem herede, qui emolumenti causa hereditatem adiit, multo minus a fiduciario, explenda erit. Difficilis, quatenus potest, explenda est, modo sit in heredis potestate *b*). Fiduciario eam remittit Praetor, aequitate commotus. Quam vero conditionem fideicommissarius implere queat, eam impleat, necessarium esse, adserit CUIACIUS *c*). Quare, scripturam receptam: *sed, et remitti eam ab initio, risum est, sollicitat, et pro ab initio legendum censet absurdum*, hoc sensu: quamquam

heres

*b*) vt PAULLUS (L. 4. §. I. de scar. loquitur.

*c*) Obsr. XXI. 39.



heres difficilem conditionem, alterius gratia implere non cogatur; absurdum tamen esset, neglecta testatoris voluntate, eam plane remitti, siquidem fideicommissarius explere eam queat; qui etiam pecuniae dandae conditionem, heredi adscriptam, implere debet. Probat Cuiacii opinionem *Thorzius d)*. At vero ea, quae, ut Cuiacium tueretur, adtulit, mihi quidem haud sufficiunt; sed argumenta Faberi plus ponderis habere videntur. Recte enim Faber distinguendum censet inter conditionem dandi et eam, quae in faciendo consistit. Illa enim si adscripta legitur, fideicommissarius heredi subuenire et potest, et debet: quoniam tertius habet ius, voluntate testatoris quaesitum, quod aperte laederetur, nisi, oblata a fideicommissario pecunia, heres conditionem impleret cum in ipsius fideicommissarii utilitatem vergat, ut conditione impleta, hereditatem adeat atque restituat. Factum vero difficile id esse intelligitur, quo intermisso, nemo iure priuatur suo. Quam ob rem neque heres cogitur, neque fideicommissarii opera accedat, necesse est. Deinde, recepta *CUIACII* emendatione, cum Caius, quidquid dicit, de turpi pariter, ac de difficili conditione intelligat, efficitur illud, ut aequè absurda dicatur esse turpis, quae tamen haud adscripta esse censeatur, ac difficilis conditionis remissio, adeoque et turpem implere fideicommissarius debeat. Quod praeclare obser-

d) aduersus ANTONIUM FABERUM coniectur. iur. civil. VI. II. in libello, quem composuit de *memoria propagata*. IV. 4. Refutat simul *ELBERTUM LEONINUM*, *Fabero* adstipulantem, (Emendatur. civ. II. 9.)

obseruauit acutissimi vir ingenii, JACOBUS VOORDA, qui nuperime aduersus Cuiacium disputauit et Florentini ceterorumque Codicum lectionem defendere conatus est e). Qui quidem his verbis: *sed, et remitti eam ab initio, visum est*, significari existimat: praetorem, cum agatur de impellendo, vt adeat hereditatem, heredi fiduciario protinus, h. e. ne exacta quidem conditione, gratiam decreto suo facere, cum turpis, tum etiam tam difficilis conditionis. Probabilis sane interpretandi ratio, qua haec verba cum antecedentibus optime cohaerent. Quae cum mihi quidem, donec verisimilior adferatur, adrideat, non potest placere ea, qua vsus est JOSEPHUS AUERANIUS f), qui, ob subiectam rationem, ex iis, quae antecedunt, intelligendum esse contendit vocabulum: *iniquum*, ita vt sensus is sit: *non cogere quidem Praetorem, eam implere: hoc enim esset iniquum. Sed, et iniquum videri, eam ab initio remittere contra tabulas, et non scriptam censi.* Aequum potius visum est, remitti eam ab initio, petente fiduciario, vt, impleta conditione, heres adeat et restituat. *Plus enim, ait CAIUS, tribui a Praetore ei, qui fideicommissum petit, quam testator voluit, absurdum est.* Remissa a Praetore turpi aut difficili conditione, nec fideicommissarius exigere potest, vt heres conditioni pareat. Testator enim, hereditatem illi restitui, iussit, eamque, conditione remissa, factaque aditione, nactus, nihil prorsus est, quod petat. Absurdum igitur esset, si importunas fideicom-

e) Interpretat. et Emendat. iur. Rom. III. 15.

f) Interpretat. iur. c. XXV.

missarii preces exaudiret Praetor, neque, fideicommissum restitui, permetteret prius, quam implevisset fiduciarius turpem illam, difficilemve conditionem. Vtique autem, inquit CAIUS, testator, nisi expleta sit conditio, neque scriptum heredem ad hereditatem vocavit, neque, per hunc, illi, voluit restitui hereditatem. Ex testatoris mente atque voluntate non, nisi, expleta conditione, heres adire ac restituere poterat. Igitur, iure stricto cum nec deferre, neque adire queat aliquis hereditatem, nisi impleta conditione, heredi praescripta; insistendum sane erat defuncti voluntati. Sed hunc rigorem iuris civilis Praetores, aequitate commoti, temperandum et in fideicommissaria hereditate paullo mitius decernendum, censuerunt. Ita series verborum CAII optime cohaerere, et ratio exposita cum iis, quae antecedunt, convenire videtur. Neque adeo in sententiam VOORDAE concedere possum, qui, turbatum librariorum vitio scripturae ordinem esse, ratus, quae post verba: *sed et ab initio remitti eam, visum est*, hac §. sequuntur, loco suo moveri, et transpositione, oppido violenta, omnia illis, quae sequenti §. 8. habentur subiungi, vult. Eiusdem emendationis iam antea auctor fuerat DESIDERIUS HERALDUS<sup>g)</sup>, VOORDAE quidem non laudatus, sed a TROTZIO<sup>h)</sup>, probata tamen Cuiaciana crisi, reprehensus. Quid vero? si neque ullam difficultatem conditio habeat, neque turpitudinem; sed impendium aliquid, virum fiduciarius ipse,

<sup>g)</sup> Observ. c. XIX.

<sup>h)</sup> l. c. §. 5.

ipse, cum in fraudem tertii conditio remitti nequeat, impensas praestare, an vero, pecunia a fideicommissario subministrata, adire et restituere debet? Rem ita definit CAIUS §. 8. *Si dandae pecuniae conditio adscripta est, debet ei offerre pecuniam is, qui poscit fideicommissum, ut hereditatem, impleta conditione, possit adire et restituere.* Vulgatae editiones, contra latinitatis rationem, exhibent: *si in danda pecunia conditio*, etc. et ita etiam BAUDOZA edidit. Consentiant cum CAIO MAECIANUS *i*), et, qui plenius de eadem re disseruit, MARCIANUS *k*).

Iam cum omnes conditiones, quas testatores heredibus adscribunt, aut remittantur a Praetore, aut exigantur; in vitroque casu, quid leges iubeant, CAIUS exponere pergit. Ait §. 9. *Quodsi conditio adscripta est, et ea est, quam Praetor remittit; sufficere Edictum, ut Julianus ait.* Non omnes conditiones testamento adscriptas, quae iure ciuili non improbantur, exigit Praetor, adeoque quarum implendarum heredibus gratiam facturus sit, edicto significauit. Ex ea igitur edicti parte, quae est de conditionibus institutionum, satis patet, quasnam, variis de causis, omnibus, qui sub conditione ad hereditatem testamento vocantur, Praetor remittat. Neque, ad remittendam conditionem aliquam decreto Praetoris opus est, sed edictum sufficit. Et ita placuit

*i*) L. 7. D. h. t.

*k*) L. 31. §. 2. D. h. t. quae lex cum adcurate a TROTZIO sit explicata (*cf. l. c.*) qui et temerarias FABERI emendationes docte refutauit; iam acta non agam.

cuit JULIANO, cui CAIUS adstipulatur. Inde contendit: *hactenus iubendus est, ut constituat, praetoriis actionibus uti, aut petat bonorum possessiones secundum tabulas, ut ita nactus actiones, tunc, restituta hereditate, transferat eas* (in fideicommissarium) *ex Senatus consulto.* Voci *hactenus* vulgata atque Haloandrina editio particulam *et* praefigunt, quam in textum recipere proclivis est BRECKMANNUS. Negari sane haud potest, subsequencia cum antecedentibus melius cohaerere atque concinnius posita videri, si hanc emendationem probaueris. Itaque, conditione in edicto remissa, iubeatur, constituere, se praetoriis actionibus esse usurum. *Ciutilibus* autem actionibus uti nequit: cum, ex iure civili, nemo, nisi qui conditionem expleverit, heres intelligatur.

---

Nunc vero ad ea, quae huic scriptioni ansam praebuerunt, animum conuertamus, necesse est.

Iam, video, VIR CLARISSIME ET CONSULTISSIME, pietatis quaedam officia in TE mihi obeunda esse, quae quidem huic diei propria sint ac praecipua. Sola enim haec pietas, proprio excitata motu, sacrum festumque eum putat colendum, simulque hac vitur occasione, ad gratum animum TIBI, ne dicam exprimendum; at quodammodo significandum, aptissima.

Vtinam fruaris semper ea vitae sorte, quae in in tanta rerum humanarum vicissitudine felix faustaque dici queat. Con-

ser-

seruet TIBI Deus, ter O. M. cum corporis, tum animi, vires,  
quas in optimis studiis consumas, omnique omnium bonorum  
copia TE adfluere iubeat diutissime.

Liceatne, votis, quae TUAM incolumitatem Deo com-  
mendant, vnum adhuc addere, quod, benevolentiam, qua  
me hucusque ornauisti, vt et in posterum mihi conserues, im-  
plorat? Hoc, quamuis ea sit humanitas erga me TUA, quae  
his precibus locum relinquere non videatur, ita tamen peto, vt  
maiore studio et contentione rogare nihil vnquam possim.

*[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



Göttingen, Diss., 1796-97

ULB Halle

005 303 338

3



SB









1797, 1 889 13

V I R O

CLARISSIMO AC CONSVLTISSIMO

CAROLO TRAVGOTT GOTTLOB

SCHOENEMANN

BIBLIOTHECAE REGIAE IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA  
A SECRETIS

S V M M O S

VTRIVSQVE IVRIS HONORES

ANNVENTE INCLYTO IVRECONSVLTORVM ORDINE

D. XXI. *Sept.* c1010ccxcvii.

IN EVM COLLATOS

GRATVLATVR

GOTTFRIDVS HENRICVS BOETTCHER

HANNOVERANVS,

LEGVM CVLTOR.

PROPONITVR

INTERPRETATIO LEGIS 63. §. 7. 8. 9. D. AD SCTVM TREBELL.

GOTTINGAE,

TPIS IOANN. GEORG. ROSENBYSCH.

c1010ccxcvii.